



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.3. Petri calamitas & status populo ostensus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

amarum, poculum per fenestram in plateam effundit. Cur tam multi quotidie damnantur ac pereunt? quia audita in concione respiciunt. Pauci, aut vix vlli perirent, si concionatori obedirent; & statim dum calet, verbum, cuderent proponerentque sibi efficacem vitæ emendationem.

III,
PETRI
CALAMI-
TAS ET
STATVS
POPVLO
OSTENSVS.

Quid igitur de Petro factum est? Multi alij tepidi in zelo animarum de eo desperauissent, eumque pro derelicto habuissent. Haud tamen ita egit acerrimus Dei seruus Dominicus, qui haud ignarus, tam excæcatum peccatorem sine miraculo conuerti non posse, cum alia vice celeberrimis quibusdam ferijs, inter concionandum, videret denuo Petrum in templum, cum pompa sua pedem inferre, interrupto sermonis filo, repente alta voce exclamauit: *Christe, prædulcis, & præpotens, perfice ut audieres mei, eius, qui modò in adem tuam pedem intulit, miseram condicionem, animi statum, periculumque, peruideant.* Nempe quod ipse nuper viderat, tunc cupiebat etiam à populo videri; vt vnus in ruborem dati exemplo plures corrigerentur. Audiit Christus orantem Dominicum, ac diuina vi effecit, vt qui aderant concioni, itidem intue-
rentur

rentur mille cacodæmonum spectra, Petri animam captiuam ferroq; deuinctam, quò imperus ferret, pertrahentia. Ibi alijs rei nouitatem admirantibus, alijs spectaculi insolentia exterritis, ingens repente exortus est clamor, concitatusq; tumultus horribilis, fugientium, vociferantium, perstreptantium, ut ab inuiso immaniq; monstro sibi quisq; caueret hortantium, belluamq; trucem auersantium: imminere omnibus tartarum, quem Petrus circumferret; inq; fuga esse salutem. Ad has uocum incredibiles contentiones, terrore q; multorum, inscius Petrus obstupuit, & ex uo famulorum tremefacto, cur ipse fugeret, quasiuit, curq; alij palantes ac dispersi recederent, & pauerent attoniti, inuestigauit? Ista, inquit famulus, me tua facies & figura conturbat, qua non meum mihi herum ac dominum, sed satanam representat. Te Erebus pro suo habet, vincit, rapit, & raptat manus inferna. Hinc fuga popularis, murmur, terror, & consternatio plurimorum. Ipsa quoque nobilis uxor exclamat, simul atq; Dei voluntate mariti sui miseriam, & Tartareos illos uexatores aspexit. Ancilla etiam conspecto demonum agmine gemitus, & uultus continere non poterant.

Trium

ADMIR-
ANDA PE-
TRI CON-
VERSIO,
ET DEI
MISERI-
CORDIA.

Trium horarum spatio insolens illa forma
formidolosaq; species templum omne turbauit
rat, cum Petrus jam sui & compos, & similis
ita fari coepit: In extremam mihi videor re-
dactus miseriam, quem plebs cuncta, famuli,
amiciq; defugiunt: & quod est admirabilius,
coniux ipsa perhorrescit, suiq; mariti cane peius
& angue euitat aspectum. O me perditum, ac
plane desperatum, cui vni post hominum memo-
riam accidit, ut notos, ignotos, propinquos, alie-
nos, domesticos, externos suo aspectu, tamquam
Cerberus alter vertat in fugam. Prodest sub-
inde ab hominibus despici, & mundi ludi-
brio exponi. Quia, teste Isaia, *vexatio intel-
lectum dabit*, & incipiunt, se ipsos agnos-
cere, quibus alij digitum intendunt ad il-
lorum calamitatem. Nondum Petrus me-
dicinam quaesierat, incipiebat tamen sen-
tire suum morbum. Vfus est occasione Do-
minicus. Nam postquam tempestiua ora-
tione pauentem populum, & crucis signa-
iterantem anhelitumq; trahentem à timore
recreauit, comitem suum F. Bernardum,
ad lamentantem, plorantem, & se sine mo-
do plangentem Petrum cum mandato Ro-
sarioque misit. Is, vice ac nomine Domini-
ci ita cum est affatus: *Quacumque gradi-
ris,*